

vulneratur. Quod rex percipiens, non virtute Dei sed arte magyca hoc asscripsit. Et tamen scire volens causam facti tam ardui et mirandi, misit ad eum querendo, qua arte fieret id. 'Quod feci, et majora que facturum sum, fiunt in virtute dei omnipotentis domini nostri Jesu Christi'. Ad quod rex: 'Cum igitur tuus dominus sit tante potencie, quare meam subterfugis potenciam, claudendo portas civitatis? Aperi michi eas¹⁾, et si tunc de manu mea te tuus dominus liberaverit, credam eum esse forciozem dominum me una tecum'. Ad quod episcopus: 'Licet dominus Deus temptari non debeat, tamen confisus de sua clemencia portas tibi aperiam civitatis, et nullum de tuis hominibus offendam, et tamen Domino adjuvante ab ipsis una cum eis omnibus salvus ero. Et nec tu ex hoc ad Dominum converteris, quia in malicia es animi indurati'. Dicens itaque populo ut non timeat, nec ut in ingressu hostium aliquis offendatur, portas aperit civitatis. Elegit itaque rex l. milia virorum, quibus precipit nulli parcere, sed igne et gladio civitatem²⁾ et episcopum et populum devastare. Ingre-diuntur itaque civitatem et per aliam portam egrediuntur, et iterum revertuntur, et transeuntes per medium civitatis per portam egredientes, per quam ingressi fuerant, et nullum penitus offenderunt. Rex vero videns eorum ingressum et egressum, furore nimio repletus dixit eis: 'Cur civitatem non combussistis nec populum occidistis?' At illi dixerunt: 'Certe numquam ingressi fuimus civitatem; semper enim civitas ipsa nos precessit. Bene tamen nobis visum fuit, ipsam post tergum aliquociens pervenire, et tamen revertentes nullatenus potuimus intrare'. Ad quod rex: 'Vidi meis oculis certo modo vos ingredi et egredi civitatem; exspectavi et adhuc perpendo, vos nichil posse proficere in hoc mago. Igitur ab obsidione³⁾ civitatis sue incolomes remaneamus'. Recessit itaque rex cum suis ab⁴⁾ obsidione civitatis. Quem vir Dei insequitur, assumpta milicia Ottonis imperatoris. Ab utrisque partibus dies prefigitur et locus, quando et ubi sint in campestri bello seu certamine pariter pungnaturi. Hortatur itaque episcopus ad devotionem et strenuitatem milicie populum christianum, una cum victoria corporali celestia premia promittendo. Adveniente itaque die pugne, oravit ad dominum nostrum Jhesum Christum, ut sibi aliquo signo intermedio dignaretur ostendere morituros. Quod cum Dominus exaudiret, episcopus motus solita pietate, eosdem ab⁵⁾ ipsis segregavit, et⁶⁾ communicatos corpore Domini ipsos licet invitos⁶⁾ et dolentes in ecclesia recludebat, servans ipse claves usque pungna totaliter finiretur. Congrediuntur itaque invicem pungnaturi, multitudo videlicet paganorum ac populus christianus. Pungnaverunt igitur in Domino confidentes strenue

1) ea. 2) civitatis. 3) Ig. absidione. 4) fehlt. 5) ut.
6) invitus.